

tempore noverit, hic in numerum assumitur Eruditorum, de quibus Arnaldus in epistola secunda ad Fratrem suum Andegavensium Præfulem ait: *subscriptiones illas* (Formulæ contra Janfenium) *quasi meras ceremonias spectant, quibus necesse non sit congruere interiore mentis assensum, atque adeo hæc persuasio- ne imbuti, licet quinque propositiones in Janfenio exstare non credant; tamen id subscriptione suâ confirmare nihil verentur. Notum est, magnam Eruditorum partem, à quibus ejusmodi subscriptiones extorta sunt, hoc animo, quod postulabatur, præstitisse. Non ignoras, Illustrissime Præsul, res à me totâ Galliâ pervulgatas narrari. Hæc Quefnello visa sunt digna, quæ ad suorum institutionem infererentur pag. 490. libri sui, quem fallacissimo titulo vocat *Defensionem Ecclesiæ Romanæ, & Summorum Pontificum*. Verùm fucata ista mendacia, & perjuriam non adhibent Janfeniani finè necessitate, vel utilitate alicujus ponderis, qualis est nè *secretum prodant*; seu animum Janfenismo addictum: nè Janfenistæ agniti excludantur Ordinibus Sacris, officiis, & beneficiis. Placuerat fraus eadem Henricianis hæreticis contra quos S. Bernardus serm. 65. in cant. *Quid faciemus, inquit, his malignissimis vulpibus, ut capi queant, quæ nocere, quàm vincere malunt, & nè apparere quidem volunt; sed serpere...* Denique *indixere latebras sibi, firmaverunt sibi sermonem nequam, Jura, perjura, secretum prodere noli*: Noli perdere officium, beneficium, aut Ordine Sacro excludi.*

Nullos tamen texendarum fraudum peritiores Magistros nacti sunt Augustini Irenæi discipuli, quàm Arianos de quibus S. Ambrosius lib. de Orthodoxa Fide contra Arianos cap. 1. *Multas quidem, ait, & graves hæreses novimus à plurimis ebullire, & veneni vice ad intimum pectus canceris sui virus infundere; sed vinci illi vel facile possunt, vel facile vitari, quorum primâ propositione omne consilium pectoris proditur. At verò hi, quibus multa nobiscum paria sunt, facile possunt innoxias mentes, & soli Deo deditas, fraudulentâ societate percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, quàm, qui cum integrè per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni guttâ, meram illam, ac simplicem fidem Dominicâ, & exinde Apostolicâ traditionis inficiant. Unde vehementer nobis cavendum est, nè se vel sensibus, vel auribus nostris hujusmodi aliquid latentè insinuet; quia nihil tam cogit in mortem, quàm sub obtentu fidei fidem violare; ut enim gypsum aquâ permixtum, lac colore mentitur, ita hic per verisimilem confessionem traditio inimicâ suggeritur. Quæ de re non similitudo con-*

fessionis; sed sensus mentis est ponderandus, quo confessio ipsa firmatur.

CAPUT XV.

Expenditur, quod Quefnellus ex allatis pro se patrociniis concludit.

„ **R** Eputet igitur (inquit) Sanctitas
 „ Vestra, BEATISSIME PATER; opus non
 „ jam meum; sed ipsum de hoc qua-
 „ licunque Opere, gravissimorum Theolo-
 „ gorum, ac doctissimorum Episcoporum ju-
 „ dicio ad examen revocari, Ecclesiamque
 „ ipsâ rei novitate attonitam, ac suspensam
 „ expectare, quid de eo libro, qui per an-
 „ nos 40. approbantibus, ac commendanti-
 „ bus tantis Episcopis, per totam Galliam,
 „ vicinasque provincias lectus est, Apostoli-
 „ ca vestra Sedes judicatura sit.

„ Nè superest quidem ambiguarum vo-
 „ cum prætextus; tametsi enim dissidentium
 „ scholarum variæ opiniones id effecerint, ut
 „ voces, & locutiones ferè omnes de gratia
 „ Christi jam sint ambiguar, dum de re ipsâ
 „ discrepantes Theologi, eadem tamen San-
 „ ctorum Patrum locutiones, ad suum sen-
 „ sum quique pertrahunt, neque penitus à
 „ me vitari potuerit quædam ambiguitas in
 „ libro ejusmodi, in quo Patrum magis,
 „ quàm scholasticorum locutiones adhiben-
 „ dæ erant, & breves, contractasque senten-
 „ tias, easque præcisas ab invicem, non col-
 „ ligatas, nec connexas esse, ipsa instituti
 „ operis ratio necessariò postulabat. Tamen
 „ sic illas omnes verborum argutias expli-
 „ cuit Illustrissimus idem Meldensis, & ad
 „ exactiorem Fidei regulam revocavit, ut eâ
 „ parte nihil jam posse desiderari videatur.
 „ Fateor igitur SANCTISSIME PATER, assequi me
 „ omnino non posse, quid jam in eo libro
 „ reprehendatur. „

Si opus, Quefnelle, jam non tuum sit; si illud à te penitus abdicaris anno 1712., quo Epistolam hanc ad CLEMENTEM XI. dedisti, cur, ut alias dein editas à te libri vindicias taceam, triennio post *Querelâ & protestatione* publicâ Constitutionem UNIGENTUS tanto impetu aggredieris, librumque velut tuum tanto molimine defendis? Minimè novum in Ecclesia est, ad examen revocari judicium gravissimorum Theologorum, & doctissimorum Episcoporum, quales à veritate subinde in rebus minimè levibus aberrasse, norunt omnes in Historia Ecclesiastica non peregrini. Quæ comparatio quinque, vel sex Antistitum, cum ingenti illa multitudine Arianorum, etiam Episcopali dignitate ful-
 gen-